



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 47. Initia Zwinglii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1519.

§. XLVII.

*Initia Zwinglii.*

Vide Lib.  
CXXV

§. XLIV.

Bossuet Hist.

de variat.t.

I.p. 72.

Sander.

hæres 209.

Adam in vita

theol. serm.

Florim.

Kaim. l. 4. de

de orig. hæ-

ref c. 8. & lib.

3.c. 3.

Cum interea Lutherus errores suos in Germania divulgaret, multosque Se-  
ctatores sibi conciliaret, Zwinglius quo-  
que aut proprii quæstus studio, aut in-  
dignationis furore agitatus adversus Ec-  
clesiam arma procudit. Erat is in Pa-  
go Tigurino Pastor seu Parochus, Vir a-  
nimí ferocia, ac dicendi vehementia ma-  
gis quam scientiæ fama insignis; is ergo,  
cum indulgentiarum abusu pecunias cor-  
radi posse cerneret, simulque ipius divi-  
tias, quarum auxilio sibi ad dignitates  
aditum pararet, immodica cupiditate ap-  
peteret, ejusmodi indulgentias promul-  
gandi occasionem studiose captabat, ast  
Pontifex ad hoc munus pro Tigurina Tribu-  
jam jam quemdam ex FF. Minoribus pa-  
tria Mediolanensem nominabat. Hic quæ-  
stus, honorisque aviditate Zwinglio haud  
inferior, aut ignorantiae vicio, aut avari-  
tiæ studio seductus, ad ravim usque cla-  
mabat, plenam noxarum remissionem  
omnibus illis concedi, qui indulgentias  
hasce susciperent, stipemque erogarent,  
certoque hoc medio animas e pia-  
culari carcere liberari affirmabat. Popu-  
lus falsa hac persuasione delusus, huic  
Monacho identidem pecunias offere-  
bat,

bat, ex quibus ille haud modicam auri sacerdotalis sumمام colligebat.

A.C. 1519.

§. XLVIII.

Zwinglius more Lutheri contra indulgentias declamans.

Zwinglius, quod tam ampli lucri spe de-  
jactus esset, gravi indignatione com-  
movebatur, cumque abjectus, ac venalis  
ejus animus haud ipsi permetteret, ut  
iram suam moderaretur, maluit in con-  
vitia contra indulgentias erumpere, quam  
tacere, quamvis religioso silentio longe  
magis suo honori consuluisset. Re per-  
cepta præfatus Monachus adversus Zwin-  
glium prædicare cœpit; unde veritatis  
cathedra non sine populi offensione al-  
tercationibus, ac ejusmodi sermonibus  
profanabatur, in quibus Præcones gre-  
gem instruere haud solliciti nonnisi suos  
utrinque adversarios convitiis proscinde-  
re certabant. Paulo post Zwinglius ab  
indulgentiis, quas deridebat, continuato  
errore transiit ad impugnandam Papæ  
auctoritatem, ad ipsam Sacramenti Pœ-  
nitentiae naturam, ad meritum fidei, ac  
piorum actuum effectus, cunctosque ho-  
sce articulos aggrediebatur, non veri-  
tatis dilucidandæ studio, sed privatas  
suas opiniones, erroresque venditandi,  
ac tuendi pruritu. Hugo Constantiensis

113 Episco-